



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**F. Ioannis Andreae Copensteinii, Ordinis Prædicatorum
Theologi & Parochi Heidelbergæ Castigatio Apologiæ
Calvino-Catecheticæ**

Coppenstein, Johann Andreas

Moguntiaë, 1626

IV. An Non præcepta sit licita?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35247

nem. Dicit, non docet; cur, salvo Vnico Summo, non possint esse inferiores Mediatores. Ego verò esse docui in *Luthero calu. part. 1. q. 75. 76. ex Bellar.* quo aduersarium remitto; hic nil addo. Cætera hinc sua Calviniana, *toto corde execranda*, vt ait, sperno, non Ipsum: ideoque ipsi & suam *ἀγιομαχίαν*, & nostram *ἀγιοδουλίαν* synopticis & methodice perstringam: pleraque ex Bellar. & Becano.

Inuectiuæ, seu Antilogiæ Apologistæ capita potiora videntur ista: Inuocationem Sanctorum cedere in iniuriam 1. Dei: 2. Christi: 3. Esse signū diffidentiae in Deum: 4. Non esse in præcepto diuino: 5. Non vſitatam in primitiua Ecclesia fuisse: 6. Eos res nostras, precesue nosse non posse.

INVOCATIO SANCTORUM.

I. An sit iniuriosa DEO?

MINISTER *ἀγιομαχ* ait: Quia, Deut. 6. Matt. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi SOLI seruias.* Ergo.

RESPONDEO. 1. Sicque retorqueo. Ergo aduersarij irrogatis iniuriam Deo, cum Sanctos adhuc viuentes oratis opem. Vt S. Paulus ad Theſſal. *Fratres, orate pro nobis.* Iacobus: *Orate pro inuicem, vt saluemini.*

2. **Respondeo.** Illud Soli, explicatur Exod. 20. non alieno: *Non habebis Deos ALIENOS coram me; non adorabis eos, neq. coles. Ego sum Dominus DEVS tuus.* Contra hoc non peccant petentes suffragia viuentium in terra: ergo minus, viuentium in cælo. Quia, neutri neutros Adorant vt Deos; sed intercessionem petunt amicorum.

II. An sit iniuriosa CHRISTO?

MINISTER hagiomastyx ait. Quia 1. Tim. 2. *Vnus Mediator Dei & hominum, homo Christus IESVS:* Ephes. 2. *Per IPSVM habemus accessum ad Patrem:* Et ipsius interpellatio est sufficiens.

RESPONDEO. 1. Sicque retorqueo, vt prius de huius vitæ Sanctis, & alterius. At citra Christi iniuriam licet hic inuocare viuentes mediatores. Ergo. Dic cur non?

2. **Respondeo.** Christus est *Vnicus*, quia Principalis est Mediator: hocque *per proprium Sanguinē*:

quod *ALIVS* potuit nemo. Ita ibidem 1. Tim. 2. explicat Paulus: *Qui dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus.* 1. Pet. 1. *Redempti estis pretioso sanguine.* &c. At Sancti sunt Mediatores secundarij pro nobis intercedendo, vt fructum redemptionis percipiamus.

Quo Mediationem Christi non obscurant magis comprecatores nostri in cælo, quam alij hic in terra sancti; aut quam nos ipsi pro nobis comprecando cum Christo Mediatore. Præsertim cum & nostra, & hic viuentium, & Cælitum comprecatio vim habeat omnem ex meritis Christi: eoque gloriosior Christo est.

III. An sit Diffidentia signum?

MINISTER *ἀγιομαχ* ait. Quia contra inhorrationem Apostolicam, Hebr. 4. *vt cum Fiducia accedamus ad eum*, Hebr. 7. *qui saluare in perpetuum potest accedentes per Semetipsum ad DEVM, semper viuens ad interpellandum pro nobis:* contra hæc, inquam alios ambire mediatores, est diffidere tali primariò.

RESPONDEO. 1. Paulus orabat ipse per Christum; & tamen etiam viuentium petebat suffragia, idque citra diffidentiam in Christum: Ergo & nos pariter.

2. **Devs** paratus est exaudire Christum accedentes Solos; cur non ergo accedentes cum Amicis DEI? Ita iussit amicis Iobi Deus, Iob. 42. *Ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis. Iob orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia vestra.* Ita Regi Abimelech ait Deus, Gen. 20. *Abraham orabit pro te, & viues.* Ostendit sic Deus amicorum dignitatem, suam complacentiam; & docuit peccatores sui demissionem, non Diffidentiam vllam; quin Confidentiam erectiorem.

IV. An Non præcepta sit licita?

MINISTER hagiomastyx sic innuere videtur: Quia DEI, & Christi inuocatio legitur esse præcepta: iuxta Deut. 12. *Quod præcipio tibi, hoc TANTVM facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.*

RESPONDEO. 1. Illud accipiendum est tantum de offerendo Sacrificio; non de quocumque opere.

2. Mul-

2. Multa rectè fiunt, quæ tamen præcepta non sunt: vt seruare Virginitatem: Dare omnia pauperibus: orare flexis genibus; Euchariſtiam ieiune ſumere: initiari Sacris: creari in Doctorem. &c. abſtinere à vino, vt Rechabita.

V. An fuerit uſitata in primitiua Eccleſia?

MINISTER hagiomachus de hoc ſilet; cæteri Lutherocaluiniſtæ diſſentiunt. 1. Melanch. in apol. Conf. 4. 21. ignoratam ait fuiſſe ante Gregorium ſub annum 600: 2. Kemnicus ad Sefs. 22. poſt S. Auguſtinum ſæculo quinto: Autoremque inuocandi Deiparam eſſe Petrum Gnaphæum hæreticum in ſæculo quinto.

RESPONDEO. At Sanctos inuocarunt ipſi; docuerunt inuocandos; ac teſtati ſunt, rectè ſemper cultos & inuocatos eſſe antiquiſſimi Patres. In ſæculo 1. S. Iacobus Apoſtulus in *Liturgia*: præfertim ſalutationem Angelicam. Sæculo 2. Iuſtinus *Queſt.* 28. & in *Apologia ſecunda*. In ſæculo 3. Origenes in *Threnis*, in *Iob*. 1. 2. & *hom.* 16. in *Ioſuam*. Eulebius *l. 6. cap. 5*. S. Cyprianus *lib. 3. epiſt.* 15. 18. Sæculo 4. Neſtarius Conſtanti-nop. in *orat. de S. Theodoro*. S. Ephræm *ſerm. de S. Martyribus*. S. Athanaſius *de Incarn.* Et in *Euang. de Deipara*. Baſilius *orat. in 40. mart.* Prudentius in *hymno S. Lauren.* S. Gregorius *Nazi. Orat. in Cyprianum*: & *orat. de S. Baſilio*. Gregorius Nyſſ. *ora. de S. Theodoro*. S. Ambroſ. *lib. de uidiis*. S. Hieronymus *epiſt.* 27. c. 14. S. Chryſoſtomus *hom.* 26. in *1. Corinth.* Atqui hi omnes antiquiores ſunt S. Auguſtino. Item ipſe S. Auguſtinus *lib. Medir.* 6. 24. 40. & *l. 7. de Baptiſmo contra Pelag.* c. 1. inuocat S. Cyprianum. *lib. 22. Ciuit.* c. 8. Refert miracula de inuocatis. Et iſtis longe poſterior fuit S. Gregorius Papa.

VI. An Cælites res, precesque noſtras nesciant?

MINISTER hagiomachus ſilet; ſolum Mortuos appellat Sanctos: *Eccl.* 9. *Mortui uero nihil no-uerunt amplius.* *Iob.* 14. *Si uo nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles; non intellegit.* *Ma.* 63. *Abraham nesciuit nos, & Iſrael ignorauit nos.* At uero *DEVS*, 3. *Reg.* 8. *Tu*

neſti ſolus cor omnium. Ergo inuocandus ſolus; non alij.

RESPONDEO. 1. Angeli norunt preces noſtras: *Tob.* 12. 12. *Pœnitentiam noſtram internam; quia gaudent ſuper peccatore.* & *c. Luc.* 15. *Cultum Deo præſtitum,* *Pla.* 137. *In conſpectu Angelorum pſallam.* *Habitu mulierum,* *1. Cor.* 11. *Ideo debet mulier uelamen habere ſuper caput propter Angelos.* Ergo & Sancti pariter. 1. *Quia,* *Luc.* 20. *Similes Angelis in ſtatu beatitatis.* Ecce *Apoc.* 5. *Seniores XIV. ceciderunt coram Agno, habentes citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.*

2. *Quia: Sancti in cælis ſunt perfectiores Sanctis in terris: at hi cognoscunt arcana cordium: Vt,* *1. Reg.* 9. *Samuel, quæ erant in corde Saulis.* *Elifeus,* *4. Reg.* 5. *abſentis Giezi auaritiã:* & *4. Reg.* 6. *ſecreta Regis Syriæ: Daniel,* *cap. 2.* *ſomnium Nabuchi: Petrus,* *Actor.* 5. *occultam fraudem Ananiæ.* Ergo Sancti in patria non erunt deterioris conditionis, quam ſancti in exilio. Ita S. Aug. *l. 22. Ciuit.* c. 29.

Ratio: Quia Amicus amico ſua manifeſtat; at ſancti ſunt amici Dei, *Ioan.* 15. *Et in Deo diſtincte uident creaturas ut in quo reſucent omnes, & omnia.*

RESPONDEO II. ad autoritates. Eæ loquuntur de mortuis Vet. Teſt. qui non erant in ſtatu beatitudinis; ſed in tenebris, inque ignorantia rerum orbis huius: Secus Beati N. T. Plura in meo *Lutherocaluiniſta: inq. Nucleo Concionum de Sanctis ſub ſinem.*

AD QVÆST. XXXI.

MINISTER hic Myſteriomachus ait: 1. Nullum eſt aliud ſacrificium propitiatorium Corporis & Sanguinis Chriſti; niſi Cruentum in cruce. *Id ſecit SEMEL,* *Heb.* 7. & 9. *Per proprium Sanguinem ingreſſus eſt ſemel.* & *c. 1. Pet.* 3. *Semel paſſus eſt.*

2. Diſtinctionem Cruenti & Incruenti Sacrificij qua miſſæ abominatio tegitur, reſutat Apoſtulus, *Heb.* 9. *Absq. ſanguinis effuſione non ſit remiſſio: Mors intercedat neceſſe eſt. Vbi eſt peccatorum remiſſio, non eſt amplius Oblatio pro peccato.* Ergo eſt vnicum cruentum. Implicatque, Miſſam eſſe Sacrificium incruentum; qua Filius Dei conculeatur, iterum crucifigitur. &c.

S. Patres ubi meminerunt Incruenti Sacrificij, de Spirituali hoſtia ſunt intelligendi, deque memoria cruenti excitanda, 3. MINI-